


6. Zoll.



AD OBSERV CXXXIX

6 Zoll



6 Zoll



capta est Ottovillæ (circa quod tempus lupus niger visus est) ab Illustris-
 simo Domino Comite Nassovio Lupa, in cuius sinistri renis planè con-
 sumti superstite membrana vermis viginti & unam unciam seu pollicem
 longus serpentis formâ, enectus, sub tenerâ cute quasi sanguine suffusus
 alter apparuit; alter pedem longus, multò gracilior, ore patulo, quale
 mordilapides habent, cruentum caput erexit: plures insuper albi longè
 minores inventi. Renum verò dexter insignis & integer visus. In na-
 rium dein spongioso osse duo visebantur vermes lariusculi, veluti qui in
 ovium hepate sunt, Egeln dicti, sed hi rotundo capite, caudâque magis
 magisque gracilescente, sub quorum ventre tenuia quædam quasi fila seu in-
 testinula, an fœtus immaturi, hærebant, qui sine læsione quidem ab
 caudâ extremâ removebantur, cum ore verò continui mihi videbantur,
 Quos vermes potiùs rabiei causam conjicerem, ubi incrementa proles
 sumserit, quàm dolorem renum, quando & in canibus sub lingvâ inve-
 niuntur, quos recens natis eximunt, ut præcaveatur Rabies.

(In præfatis Litteris.)

Observatio CXCIV.

D. JOHANNIS PATERSONII HAIN
 DE

DRACONUM CARPATHICORUM CAVERNIS.

QUæ ad Draconum historiam spectare adhuc, & eam lucidio-
 rem reddere posse putavi, nimirum Cavernarum, in quibus
 degebant, exactam delineationem, quam p. m. Excell. *Sachs-*
sio promiseram, mitto.

Primam Cavernam meo rogatu adiit Adm. Rever. Pater
Wenceslaus de SS. Sacramento, Piarum Scholarum antea Provincialis,
 nunc Rector Gymnasii VVarfaviensis, amicus meus honorandus, qui
 omnia graphicè & eleganter depinxit. *Alteram* quidam Nobilis ex Li-
 ptoviâ obiter delineavit. Prima historia si Liptoviensi aliquid decribit, lu-
 cem eidem affunderet, nam ferè cavernæ istæ sibi similes sunt in omnibus.
 Scribit quidam Nobilis mihi, quod in comitatu Vughvvariensi ad La-
 cum, non procul à Kupos Oppido, Orlo vocato, præterito anno Draco
 vivus

vivus vitus fuerit, quod sæpius ibi contingere memorat idem. Apparet igitur, Specus tales ibi non paucos esse, ut & in ipsis montibus Carpathicis nobis propioribus, ubi ossa talia eruuntur.

*Ossa à me transmissa prælaudato D. D. Sachio ex Specu Lecho-
viano sunt.* Promisit quidem Rusticus, qui ista loca frequentat, & caput & unguis & alia plura, quæ destinaveram Curiositati p. m. D. D. Sachii, sed nec dum rusticum illum allicere potui. Si habeo in hoc negotio fortunam mihi faventem, ad Festum Trinitatis transmittam integrum caput, ut si ære incidere illa animus esset, ad manus adesset. Reliqua de Draconibus (si Deus vitam concesserit) legentur in Singularibus & Curiosis Hungariæ; in quibus nunc pergere vix licet ob varias adversitates curasque: Quod si quietem & pacem DEUS his terris largitus fuerit, citius illa lucem videre poterunt. Interea supra indicatas Descriptiones succinctiores sequentibus communicasse sufficiat.

In Comitatu Seepusiensi, in Confiniis Hungariæ & Poloniæ, tribus miliaribus à Carpathicis montibus, & uno miliari à flumine Dunajecz dicto, non procul à claustris Cartusianorum, quod prope flumen hoc jacet, Caverna est, (vulgari lingua antrum Draconis vocant) ubi Natura innumeris Draconibus posuit sepulchrum, ad quam per Reichvaldum (pagi nomen est) inter montes & silvas ad villam Lechnicam itur, cui à meridie apponitur mons vastus & præceps, præcipue quæ Occidentem aspicit, totus propè saxeus, Orientem autem versus frugifer & gramine tectus, ad cuius radices in exigua & acclivi planitie natura obeliscum posuit satis altum. Saxum hoc est unius frusti pyramidaliter assurgens, basis autem quasi dedita operâ inferius exsecta: Consensu monte jam dicto, à parte Orientali conspicitur alter mons, ibi est Saxum, in quo est ostium, ad quod ut perveniatur, descendendum est aliquantum, & iterum paucillum ascendendum meridiem versus. Ostium huius Saxi ovalis est figuræ, capax staturæ humanæ, ad latera strictius & crassitie magnâ ulnarum aliquot: ubi Antrum subivimus, innumeri vespertilionum greges ad luminis, quod intulimus, obtutum nidis suis expulsi, continuis volatibus nos salutabant: sunt enim ibi in magnâ copiâ. Dum ulterius progredimur, ad dextram vastum aperitur antrum, ad lævam orientem versus novum & arctum ostium sese manifestat. Nos prius ad lævam rimati videmus immento & præalto fornice totum Specum esse concameratum, & quidem tam dextrè, ut artificis manus vix quidquam possit addere. Totus fornix albisimâ & gypseâ obrectus crustâ,

crustâ , sed tenerâ atque uvidâ , quæ continuò limpidissimam aquam guttatim in inferiorem Specus partem demittit, & Inde in diversis Specus partibus in scrobes collectâ nitidissimæ aquæ fonticulos præbet , quam etiam gustavimus , neque saporem aliquem aversum deprehendimus. Materia illa alba , quâ fornicem obductum esse dixi , si colligatur , & in globum constipetur , instar recentis casei sese tractare patitur , satis magna moles exiguum quid ponderabat , ita ut nomen hic habeat inditum, Album Nihil. Conscendimus deinde ingentem prægrandium Saxorum cumulum , qui totum propè Specum inferius occupabat , verùm ob lubricam illam & humidam albam materiam , quâ omnia recta erant , magnâ cum cautelâ erat incedendum , ne fallente vestigio in præceps rueremus. Vix conscenderamus , ecce ad lævam Thronus quasi Regius sese videndus exhibet jucundo planè spectaculo , ita ut dubitaremus , artisnè opus an naturæ foret. Nam ultra planum spatium , quod ibi est , assurgit quasi per gradus eminentior locus , in quo pavementum totum undosum , saxea materia est , colore corneo , tactu levis , imaginari quid simile sibi poterit , qui veneris pavementum in Divi Marci Templo vidit , ubi illud inundas crispatur. In hoc pavimento quatuor , diversæ tamen altitudinis & crassitiei , assurgunt columnæ in gyros tortæ & quasi circulis in imo crassioribus circumdatæ , ac si affabrè ab Opificio humano primordia accepissent. Locus hic ab albâ illâ materiâ immunis , humidus tamen , longè tamen siccior , quàm reliquæ Specus partes. Columnæ illæ videntur esse ex Alabastro fusco , longè tamen duriores & corneæ quasi. In declivi planitie , quæ thronum illum contingit , duces nostri ligonibus & aliis ferreis instrumentis materiam confringunt , cavant , remonent , abjiciunt , videtur quasi deditâ operâ pavementum esse calce & simili mixturâ perfusum , deinde exsiccatum. Grysei coloris est tophe simile , porosum & leve. Remotâ hâc crustâ , varia apparebant diversæ magnitudinis ossa adhuc quasi pingvedine suâ perfusa , non cariola , non evanida , ex quibus quæ majora fuerant , curiositatis gratiâ abstulimus : inter reliqua ego Os sacrum (uti vocant) accepi , quod formam maximi ephippi referbat. Erutis ossibus descendimus ex illo editiori loco , & in Saxo parietis reperimus ostium aliud excavatum , & super hoc foramen unum & alterum lignum crassum abiignum , ad quæ ligna funibus appensis sese curiosi accolæ in hiatum illum solent demittere , per quos iterùm sursum prorepunt. Esse autem profunditatem magnam ibi specum alterum simileque foramen , per quod se demittunt , atque ad

radices montis perveniunt, & flumen quoddam satis amplum inveniunt, & nî fallor, post longum iter ostium exiguum reperiunt, per quod egredi licet. Redimus deinde ad secundum antrum, ibique descendimus per ostium satis exiguum intrando. Locus hic longè altero capaxior erat, caeter autem gyptea illâ materiâ. Ex fornice satis sensibiler delabatur humor, fontemque copiosum facit. In hoc antro ad latera variâ parvi Specus sese aperiunt, in quorum unum irrepsi, nihilque nisi glaciâ quâdam siccâ & exsuccâ inveni.

Secunda Caverna in Comitatu Liptoviensi est, non procul à *Sent Niclos* seu Nicopoli ad Ragum flumen sito oppido, seu Markflak, ab illo Carpathii montes *Tatri* dicti, ferè uno miliari distant, ad quos non procul ab Ostio Ragi fluminis ascenditur in montem satis altum meridiem versus. Hinc deflectendo paululùm ad occasum per collem ascenditur altior em ad speluncam, in quam descenditur per ostium angustius, ubi se statim aperit fornix maximæ capacitatis, quæ ferè ad unum miliare extenditur versus ortum: ad latera variæ cavernæ & specus sese aperiunt, quæ latè extenduntur. Si per bonum spatium, ferè quadrantem unius miliaris abiens, aqua apparet, quæ ulterius progredi prohibet, ibique ingens & vehemens ventus regnat, qui statim candelas exstingvit, ut vix ulterius gressum promoverè possis. In medio autem spatio distillat à fornicibus hinc inde alba materia, quæ etiam pavementum operit (forte Lac Lunæ est) quâ materiâ ossa Draconum tecta & sepulta jacent, imò integra sibi tupe jacentia & adjacentia Sceletâ Draconum ibi conduntur. Quâ materiâ albâ remotâ facilè ossa eruuntur. *Idem Nobilis* scripsit, os femoris nuper erutum duarum ulnarum longitudinem habuisse, quod os se missurum promisit: Dentes Draconum reperi ibi, quæ Spithamam superent.

(*In Litteris 18. April. 1672. Vratislaviâ datis.*)

Ut enarratorum fides tanto magis firmaretur, idem Excell. Dn. D. Paterfoniâ Hain pro suo indefesso Curiositatis studio atque in Collectores Ephemeridum summâ benevolentia, dono iisdem obtulit gratisimo 1. Os sacrum præfractum grandis Draconis (in adjectâ Figurâ L. a. notatum) 2. Os pedis posterioris s. Tibiam, (L. b.) 3. duos dentes caninos (L. c. c.) tresque molares (L. d. d. d.) additis Litteris d. 15. Jun. 1672. perscriptis, in quibus refert, Rusticum quendam debuisse caput Draconis integrum procurare, sed ipsi aliis occupato antrum intrare hucusque non licuisse,

promississe tamen hominem circa Festum Johannis se caput allaturum certò. Quod si igitur ille fidem servatum uer, se quoque Dn. D. Patersonius suam quamprimum liberaturum esse pollicetur.

Observatio CXCIV.
D. GEORGII SEGERI
DE
ANATOMIE LUTRÆ.

ANno 1656. die 8. Julii obtulit mihi Hafniæ amicus Lutram, præcedenti nocte interfectam, & corio privatam, in quâ quæ præ nimio fœtore observare licuerit, paucis referam. *Omentum*, pingvedine hinc inde conspersum, atque duplex, & non tantum super intestina protensum, sed & ventriculi fundo, hepatis quoque ac lieni connexum, telarum aranearum formam omni ex parte referebat. *ventriculus* succo albicante piscium spinis referto repletus erat. *Intestina* croceo colore tincta, & ubique sibi æqualia, cæcoque destituta, succum albicantem itidem continebant. *Pancreas* exiguum nigricantem habebat colorem. *Hepatis* lobi numerabantur septem, in cujus cavâ parte umbilicalis vena portæ inferebatur. *Lien* ventriculo substratus, & sex pollices transversos longus, à globulis plumbeis dilaceratus conspiciebatur. *Renes* ingentes è decem glandulis conglomerati erant. In *Penis* extremitate apparebat os durum in extimâ suâ parte divisum, incurvatum & cartilagine obductum, quod longitudine digitum minimum æquavit. Istius figuram, pro duplici positu duplicem, prout eam tum collectaneis meis secundum omnes suas dimensiones inserueram, hic adjungo. *Thorace* aperto, *Mediastinum* oculis sese obtulit, quod telam araneam referebat. Ast in sinistro thoracis latere, ubi plurimi globuli plumbei corpus penetraverant, veniebat in conspectum sanguinis concreti nigricantis frustum oblongum & crassum, quod inter cor & pulmones hepar mentiebatur. Hoc remoto cernebantur pulmones lutei, qui tribus utrinque lobis cor ambiebant. *Cor* autem valdè longum & magnum duas habebat cavitates, quarum dextra tenuis & sanguine